Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1757
Quelle:
Copyright:

καλλιγραφον exaratus, minioque distinctus complectitur *Regulam Solitariorum*, *Inclusorum* seu *Retrusorum* absque titulo a *Cap.* I. inchoantem: *Primum igitur indagari oportet, cur monachus, uel cur solitarius vocatur* &c. Edidit hanc post *Lucam Dacherium Luc. Holstenius* in *Codice Regularum*, repraesentavitque in Edit. *August. Vind. Marian. Brockie* T. I. 1759. p. 291. f. In praevia *Observat. critica Grimlaicus* quidam ejus Autor teste *Prologo* statuitur, qui tamen *Prologus* in Exemplo nostro aut nunquam fuit, aut inde excidit, id, quod post *fol.* 14. etiam binis foliis factum est. *Grimlaicum* in ead. *Observat.* Sec. IX. scripsisse tradit *Holstenius* in eo lapsus, quod Solitarios adserit in *subterraneis Monasterii locis* inclusos fuisse. Falsum id esse docent, quae e Cap. XVI. adscribo: *Oratorium ita sit domui Ecclesiae contiguum, quatenus idem Solitarius per fenestram ejusdem oratorii possit ad missas per manus Sacerdotum oblationes offerre, ac cantantes et legentes fratres congrue audire, atque simul cum eis possit psallere, et etiam ad venientes quosque ibidem valeat responsa dare. Sint etiam ante ipsam fenestram deintus et deforis uela appensa, ne facile a foris uideri uel uidere queat. — Habeat autem infra septa retrusionis hortulum exiguum* &c. — *Sit etiam extra septa retrusionis et alia cellula, in qua discipuli eius habitent* &c. Ceterum Codex noster cum Editis bene consentit.

Ultimis Paginis Tabellae quaedam ordinandi Temporis habebantur, quae nunc magnam partem extritae sunt.

DCCXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 175. f. per duas columnas luculente et nitide scriptus, coloribus illustratus et olim, ut fert calx, *Domus porte beate Marie in Axpach ord. Carthusiens.* quae fundata a. 1386. ab *Haderico* e Dynastis *Meissaviensibus* nunc cum reliquis per Imperium *Austriacum Carthusiis* diem supremam obiit, continet: I. *Constitutiones Antiquas Ordinis* in *Partes* III. distinctas praemissis cuilibet *Parti* Capitibus, prout habentur in *Statutis ordinis cartusiensis a domno Guigone* (*Wigone, Guidone, de Castro, de Ponte, de Pinu*, quinto a B. *Brunone* Carthusiae maj. Praefecto, *Delphinate*, a. 1137. vivis exemto) *priore cartusie editis*, et ab *Joh. Amorbachio Basileae* 1510. f. impressis. Parte II. c. 1. in hac edit. legitur: *Anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo nono visum est Capitulo generali* &c. pro quo Codex noster habet annum 1270. et *Nova Collectio Statutorum Romae* 1688. 4. vulgata annum 1572. Ad calcem Partis III. titulo *De diuersis statutis* addita sunt nobis 7. Decreta, quae non habentur in edit. *Basil.* video tamen ea per *Novam Collectionem Statut. cit.* esse distributa. R. 1985